



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefa-||tiones

Majoragio, Marcantonio

Monasterii VWestphal., 1599

VD16 ZV 10313

XXIII. De Musica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68843)

At Veneri Musæ: Verba ista procacia Marti.

In nos nil iuris iste Puellus habet.

Habemus igitur paratum Antidotum, quo flagitiosi Amoris tela vitare facile possimus: Si nos virgineus Musarum Chorus in clientelam suam admiserit.



DE MUSICA.

ORATIO XXIII.

Cum aliquandiu mecum ipse tacitus animo volu-
 tasset, Auditores, quoniam apud vos, in hoc hu-
 ius anni Professionis nostræ principio, dicendi genere
 potissimum vterer, quod & animos vestros exhilara-
 re, & ad bonarum artium studia vehementius incita-
 re posset: suauissimis ac dulcissimis Q. Horatij Flacci
 cantibus, quos interpretari vobis hoc anno decreui-
 mus, tandem admonitus, de cœlesti illa, ac verè diui-
 na scientia, quam Græco nomine Musicam vocamus,
 cuius magna quadam atque ampla pars est Poëtica
 facultas, verba facere, atque eiusdem laudes, vires,
 commoda, qua penè sunt innumerabilia, quoad per
 me fieri poterit, explicare constitui. Neque enim
 ex tot, tamquæ varijs ac multiplicibus artibus, qua vel
 ab hominibus excogitata, vel Dei beneficio sunt no-
 bis tradita, vlla tam humanitatis est propria: nec
 qua

qua facilius animum nostrum regere, mores immu-
 tare, mentem ad sese rapere, & quibusdam quasi vin-
 culis constrictam atque alligatam retinere valent.
 Hac illa est scientia, qua dono quodam Providentia
 data est humano generi, quo se ex tantis miseris, la-
 boribus, & calamitatibus aliquo modo recreet atque
 reficiat. Neque enim tam graues & acerbos casus, tam
 turbulentas vitæ tempestates, tot tristia fortune ven-
 nera villo modo pati natura humana diutius possent
 si molliores interdum & deliciores cantus adhibe-
 ret. Nec verò quicquam in vitâ iucundum aut dulce
 videretur, nulla quies, nulla animi remissio, nullum
 naturæ blandimentum, nullum suauis solatium, haec et-
 te sublata, reperiretur. Hac omnibus & studiis, & se-
 xibus, & ætatibus opportuna atque accommodata
 est: hac infantes in cunis adhuc vagientes oblectati,
 nutricum dulci murmure sopiuntur: hac pueri cum
 qualibus cantillantes, frequenter vtuntur: hac iuue-
 nes, atque ætate florentes maximè capiuntur: hac se-
 nes, reliquis iam deferescentibus voluptatibus, na-
 turæ dulci quodam instinctu delectantur. Nulla deni-
 que natio est, nulla gens, nullus ordo, qui non arti-
 ciosa canendi ratione moueatur. Saxa & solitudines
 ait Orator, voce respondent, bestia quoque immanes
 cantu flectuntur, atque consistunt. Qua de causa
 sapientissimi Poëtæ fictis fabulis tradiderunt, ab Or-
 pheo Linoque cantoribus non tantum homines, sed
 etiam pecudes, feras, aues, sylvas, montes, saxa,
 muta denique omnia cantu, fidibusque fuisse commota:
 quoniam nihil est penitus in omni rerum vniuersitate,
 quod

Cic. pro
 Archia.

quod ab Arte Musica remotum, aut alienum esse videatur. Vnde caelestes etiam globos, generalemque totius Mundi animam quadam harmonia constare Platonicis crediderunt: neque quicquam rectum, honestum, laudabile esse posse censuerunt, nisi quod esset Arti Musicae congruens atque consentaneum. Quare de tam eximia singularique scientia dum breviter aliqua dissero, quaeso vos, sicuti facere instituistis, diligenter attendite. Primum enim mihi videretur de origine atque antiquitate Musicae; deinde de formis eius atque partibus, tum de viribus atque utilitate esse dicendum. Nam ea est huius Artis tum antiquitas, tum dignitas, ut Timagenes auctor sit, Omnium in literis studiorum antiquissimam extitisse Musicam: & iam illis antiquis temporibus in tanta veneratione, tantoque studio fuerit, ut iidem Musici, & Vates, & Sapientes iudicarentur. Sic Museus, qui multum in hac arte praestitit, & viuens Theologorum sapientissimus habitus fuit, & post mortem in beatorum sedes ac domicilia translatus putatur, de quo ita Virgilius in sexto:

Quintil. Institut. ca. 17. lib. 1.

Museum ante omnes: medium iam plurima turba
 Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis:
 sic Orpheus, qui, cum homines in agris passim, bestiarum more, vagarentur, & sibi victu ferino vitam propagarent, nec ratione animi quicquam, sed pleraque corporis viribus administrarent, Musica quadam ratione compulit in unum locum, & congregavit, atque ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos:
 sic Linus, qui propter excellentem artis Musicae scientiam, Apollinis filius habitus fuit: sic alij plurimi prope
 divi-

diuinos honores ob hanc Artem consecuti. Fuit enim olim Musica cum diuinarum rerum cognitione coniuncta. Cuius rei testes sunt clarissimi Poeta: apud quos inter regalia conuiuia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebantur: & res altissima, quæstionæq; dignissima, cantibus inferebantur: vt apud Virgilium:

Aenëid. 1.
in fine.

cithara cernitur Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber &

Eclog. 6.

Et in Sileno:

Namq; canebat, vt i magnum per inane coacta
Semina terrarumq; animæq; marisq; fuffent,
Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit Orbis.

Inst. Orat.
lib. 1. c. 17.

Quæ verò Artistam egregiæ fuerit origo varie traditur Quintilianus ab ipsa Natura putat, ad tolerandos facilius labores, velut muneri nobis esse traditam. Sed quidem (inquit) & remiges cantus hortatur: nec solum in ijs operibus, in quibus plurimum conatus inuincula voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio, quam libet se rudi modulatione solatur. Quis enim nescit, aut quis non ferè quotidie audit, laborantes, atq; opus facientes agricolas, artifices, & mares, & fammas in ipsis laboribus medijs aliquo sese cantionis genere obprimit:

Georgic. 1.

Interea longum cautu solata laborem,
Arguto coniunx percurrat pectine telas.

Eclog. 1.

Et in Bucolicis:

Hinc

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

Cum enim hominem Natura nudum, & in nuda humo natali die statim ad vagitus & ploratum abijciat: nullumq; aliud ex tot animalibus ad lachrymas, & hoc protinus vita principio, generet, vt natus iaceat, manibus pedibusq; deuinctis, flens, & à supplicijs vitam aufpicietur: voluit etiam eadem prouida parens Natura solatium aliquod tantis miserijs inuenire: itaque Musica dulcedinis sensum etiam ipsis infantibus ingenerauit: quo fit, vt nutricum nanijs, & varijs modulationibus mirifice recreentur, & cessantes à vagitu, iucundè sopiantur. Est enim tam hominis propria, tamque sensibus nostris coniuncta Musica, vt Plato censeat, Nihil facilius in teneras puerorum mentes ingredi, quam varios canendi modos. Quod apertis & manifestis indicijs facile quiuis intelligere potest. Quàm plurimi enim pueri nostra etiam tempestate reperiuntur, in omni parte Musices eruditi atque excellentes: cum tamen in alijs artibus aut scientijs nullus omnino puer excellat. Neque tantum homines ipsi, sed etiam bestia, cantu Musicaq; delectantur. Nam Plinius ait, Ceruos fistularum sono mulceri. Strabo tradit, Elefantos cantu plurimum oblectari. Pindarus testis est, Delphines citharæ sono mira quadam exultare leticia. Compertum est etiam vsu ipso, Multos tintinabulorum sonitu strepituque valde gaudere: qua de causa muliones, vt facilius in itinere sarcinarum onera laboresque tolerent, mulorum collo plurima suspendere tintinabula solent. Quid in bello, nonne tubarum clangore, & tympanorum pulsu non

2. de Rep.

Plin. Nat.
H. st. lib. 8.
cap. 32.

su non

su non minùs equi, quàm milites animantur? Quò-
uium ille tam varius, tamquè multiplex concentus in
agris, nonne declarat apertè, Musicam ipsis etiam ani-
bus à natura datam & ingentam? Nam Iusticia (si
Plinio credimus) cantum edit, perfecta Musica scien-
tia modularum: & tam paruulis in faucibus emissa
concinuntur, quæ tot exquisitis summo ingenio atq; ar-
dustria instrumentis ars hominum excogitauit. Non
est autem mirū, si in rebus omnibus Musica plurimum
valeat: cum totus hic mundus inferior, & omnia quæ
in eo sunt, à cælesti corpore pendeant, atq; ab eo vna
ortum, & incrementum accipiant: præstantissimi ve-
rò Philosophi subtilissima indagazione deprehen-
derint, totum mundum, & globos præcipuè cælestes, atq;
ipsam mundi animam ab immortalis Deo Musica re-
tione fuisse procreatam: atq; ideo magnum quendam
& dulcem sonum impulsu & motu ipsorum orbium ef-
fici existimant, qui acuta cum grauius temperans, va-

Cic. de So-
maio Scip.

rios equabiliter concentus efficiat, quem docti hunc
nes neruis imitati atq; cantibus, aperuere sibi videtur
in cælum. Et Græci quidem, vt Eusebius testis est, Musi-
ca harmonia inuentionem Dionysio attribuunt. Ipsi
verò Eusebius Zethum & Amphionem fratres, quos
Cadmi temporibus fuerunt, Musica repertores factos
dicunt.

Nat. Hist.
lib. 7. c. 56.

Plinius etiam ab Amphione repertam Musicam scri-
bit: de quo sic Horatius:

In Arte
Poët.

Dictus & Amphion, Thebana conditor vrbis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quò vellet. Solinus Musica
studium è Creta insula promanasse credidit, quod ibi
Ida

Idei Dactyli crepitu ac tinnitu aeris deprehenderint,
 & in ordinem ac proportionem transtulerint. Polybi-
 us Arcadibus acceptam Musicam refert, qui semper
 huius artis studiosi fuerint: quod etiam Virgilius in
 Bucolicis innuit, cum ita scribit:

Eclog. 10.

cantabitis Arcades, inquit,

Montibus hac vestris, soli cantare periti

Arcades. Et alibi:

Eclog. 7.

Ambo florentes at atibus, Arcades ambo,

Et cantare pares, & respondere parati.

Quod ideo fortasse memoria traditum est, quia Pan, De-
 us Arcadiae, fistulam inuenisse perhibetur. Virgil.

Pan primus calamos cera coniungere plures

Eclog. 2.

Instituit.

Harmonias tamen vocum à

Mercurio fuisse excogitatas, Diodorus Siculus primo
 libro auctor est: à quo etiam lyra siue cithara fuisse in-
 uenta traditur: vnde Horatius de Mercurio,

Lib. 1.
 Od. 10.

Te canam magni Iouis, & Deorum

Nuncium, curuaq; lyra parentem:

eam Apollini postea Mercurius dono dedisse dicitur:
 qua ita se Apollo exercuit, vt optimus omnium citha-
 rædus euaserit, & Orpheum etiam filium suum, quem
 ex Calliope Musa susceperat, ita docuerit, vt non feras
 modo, sed saxa etiam, syluasq; cantus suauitate duxe-
 rit. Virgilius:

Epigram 7

Threicius quondam vates fide creditur canora

Mouisse sensus acrium ferarum

Atq; annes tenuisse vagas.

Quod figmentum Horatius in Arte Poëtica sic inter-
 pretatur:

I i

Sylue-

Syluestres homines sacer interpretisq; Deorum
 Cadibus, & victu fædo deterruit Orpheus,
 Dictus ab hoc lenire tigres, & rapidosq; leones.

Cap. 3.

Iosephus de Iudeorum Antiquitatibus libro primo tra-
 dit, Iubalem, Lamechi filium, Musicam artem primam
 coluisse, & Psalterium ac Citharam potissimum lau-
 dasse: quod etiam in Sacris literis scriptum legitur. I-

Gen. 4.

taq; veram hanc esse sententiam existimare debemus,
 vt ab Hebraeis ad Ægyptios, ab Ægyptijs ad Græcos
 Musica, sicut etiam literæ ceteraq; artes ingenue pro-
 manarit: quam ita postea viri sapientes ad amantissimas
 vt neminem satis eruditum putarent, qui non artem
 Musicam percalleret. Sunt qui tria Musica dicuntur
 esse principia: Mœrorem, Voluptatem, atq; Enthusias-
 mum, hoc est, diuinum afflatum. Nam in mœrore Mu-
 sicam adhiberi nostro quoque tempore videmus; vt in
 mortuorum exequijs ac funeribus, quæ Sacerdotum
 cantibus procurantur: quæ quidem cōsuetudo sum-
 antiquissima: vt apud Ouidium:

Fastor. 6.
 in fine.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Quamuis sedandæ potiùs tristitiæ, quàm incitante
 causa, reperta esse Musica videatur: vnde magnam se-
 cum afferre voluptatem consuevit, & tristes animas
 atq; afflictos mirabiliter recreare. Quod ita perspi-
 cuum, vt nullius omnino probationis indigeat. Qui ve-
 rò diuino sunt afflati Numine, v̄ plerunq; solent futu-
 ra cantu prædicere: sicut apud Virgilium Sibylla, cuius
 esset Æneæ vaticinatio: de qua ita Poëta scribit:

Aen. 6.
 in princ.

maiorq; videri,

Nec mortale sonans, afflata est numine quando

Iam propiore Dei.

Et alibi Anchises ita inquit:

Aen. 3.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Sed iam de origine, atque antiquitate Musicae satis diximus: Nunc de formis eius, & partibus aliqua percurramus. Tres enim Musicae species eruditi viri constituunt: Mundanam, Humanam, & quae Instrumentis conficitur. Mundana Musica ea dicitur, quae ex caeli conuersione, elementorum compage, & temporum varietate colligitur. Est enim in omnibus Mundi partibus conuenientia quadam & proportio musica: quae dum caelestes globi mouentur, suauissimos sonos efficit: quamuis Aristoteles leuibus quibusdam argumentis antiquam hanc Pythagorae, Platonis, reliquorumque bene sentientium Philosophorum opinionem refellere conatus sit. Verum nostri etiam Theologi non tantum Platonicos, quantum veritatem ipsam, & diuina secuti Oracula, suauissimum in caelo sonum, dum orbes assidua conuersione voluuntur, perpetuo fieri confirmant. Neque enim (ut ait Orator) silentio tantum motus incitari possunt: & natura fert, ut extrema ex altera parte grauius, ex altera autem acute sonent. Quamobrem summus ille caeli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitator, acuto & excitato mouetur sono; grauisimo autem hic lunaris atque infimus. Atque hac de causa Dorilaus dixit: Mundum nihil aliud esse, quam musicum diuinitatis instrumentum: quia illi concordantes in caelo globi dulcissimos emittant sonos; quos tamen aures nostra multis de causis capere non possunt: sed cum animus ex hoc tenebroso domicilio in illam clarissimam, atque aeternam domum commigrabit.

Lib. 2. de
caelo ca. 9.

Cicer. de
Som. Scip.

grabit, tum cœlestis illius harmonia mirifica dulcedine
 perfruemur: quemadmodum sempiternis sacidorum
 statibus Spiritus illi diuini, quos Plato Sirenes, nostri
 Theologi Angelos vocant, iam fruuntur, & vna cum
 motu cœlesti iubilantes canere, Deumq; rerum omni-
 um parentem, celebrare non desistunt. Neque aliud
 antiqui Philosophi, nouem Musas à Poëtis tam opere
 celebratas esse, voluerunt, quàm musicos octo globor-
 um cœlestium sonitus, & vnam omnium simul conuen-
 nientiam, quam orbes efficiunt. Vnde Hesiodus in Theo-
 gonia Musam octauam, ab ipso cœlo deducto nomine,
 Uraniam vocat: quod sursum versus septem errantes
 stella primò nobis occurrant; cœlum verò stelliferum
 sit octauum: nonam autem Musam, quam efficit soni-
 tum omnium concors vniuersitas, Calliope appellat,
 ex nomine vocis dulcedinem volens indicare. Nam
 Apollinem Musarum Præsidem ideo dicunt esse, quod
 Sol sit dux & princeps, & moderator luminum reli-
 quorum, mens mundi, & temperatio: qui medio in lo-
 co Planetarum constitutus, lumine suo moderatur. Ab
 hac persuasione, fideque, quod cum suavissimo sonitu
 cœlum moueatur, fluxit ea consuetudo (sicut ait Ma-
 crobius) vt soni musici sacrificijs adhibeantur, atque
 vt mortui ad sepulturam cum cantibus efferantur.
 Persuasum enim pleriq; habent, proborum hominum
 animos post mortem ad originem musica dulcedinis,
 hoc est, ad cœlum reuerti, & ibi perpetua frui beatitu-
 dine. Quin ideo in hac vita musicis sonis animum obte-
 ctari sapientiores existimant, quod è cœlo veniens, in
 corpus hoc eius Musica quandam memoriam deferat,
 quam

quam antea iam in cælo degustaret. Nam homines omnes ita iucundis cantibus deliniuntur, ut nullum sit tam inmithæ, tam asperum, tam esseratum pectus, quod non oblectamenti huius scientia capiatur. Neque sanè mens nostra quicquam præstantius optare potest, quàm ut his corporeis vinculis absoluta, cælestibus illis animis tandem associetur, ut cum eis sempiterna & ineffabili Musica suauitate perfruatur. Humana verò Musica vocatur ea, qua corpus hoc nostrum anima sociatum est, quaq; anima partes inter se bene conueniunt, & summa rationi parent, ut & ea concordia virtutum omnium pulcherrimus quasi concertus efficiatur. Nam animam nostram, non aliter atque illam generalem totius Mundi animam, ex harmonicis numeris constare, sapientes viri tradiderunt: vnde homo Paruus mundus appellatur. Sicut igitur totum cælum musica ratione perfectum est: ita etiam totus homo. Atque hæc quidem causa est, cur Plato atque Aristoxenus ex iisdem numeris, quibus omnis harmonia contextitur, animam etiam nostram esse constatam velint. Quin etiam certa numerorum ratione corporibus animis coniungi putant: qui numeri dum supersunt, & ordinem ac proportionem musicam seruant, corpus viuere perseuerat: cum autem deficiunt, confestim arcana vis illa soluitur, qua societas ipsa constabat: & hoc est, quod Fatum (ut ait Macrobius) & fatalia vitæ tempora nominant. Neque tantum anima corpori musicis harmonijs copulatur: sed etiam elementa, quibus corpora constant, inter se non sine musica ratione commiscuntur. Vnde Hierophilus Me-

μικρόκοσμος.

In Timæo.

dicus venarum atque arteriarum pulsus per multos
 rhythmos moueri credidit. Hæc est igitur humana
 Musica, ex quatum anima ipsa conflat; tum anima
 partes inter se conueniunt: tum ipsi corpori anoma-
 pulatur: tum deniq; elementorum diuersa qualitates
 in humano corpore connectuntur, & bene sociantur.
 Socrates tamen humanam Musicam in voce atq; or-
 tione constituisse videtur: sed Aristoxenus & in voce,
 & in corporis motu. Theophrastus non tantum in his,
 sed etiam in animi comotionibus humanam Musicam
 collocauit. Quamobrem rectissime colligi potest, eum,
 qui concinne atq; aptè vocem, corpus, & animum mo-
 ueat humana Musica peritum esse: quamuis nullam ra-
 nendi rationem aut artem teneat. Canendi enim ar-
 atq; ratio ad tertiam Musicæ speciem pertinet: de qua
 iam tempus est, vt aliqua dicamus. Est igitur Tertia
 Musica species ea, quæ instrumentis, ex hominis inge-
 nio atque industria, conficitur. Instrumenta verò Musi-
 ca, vel naturalia sunt, vel artificiosa. Naturalia dicitur
 mus instrumenta, quibus vox humana suauis quadam
 harmonia regitur, & per artem Musicam dulci modu-
 latione conformatur: vt pulmones, guttur, lingua, pa-
 latum, dentes, & labra: quæ, si bene conueniant, &
 natura dono claram atque suauem vocem efficiant,
 ars ipsa deinde naturam adiuuans, perfectum facit
 Musicum reddit. Hanc autem nonnulli Musicam
 Harmonicam vocant, quæ vocem regit, & numerum
 habet, & certam soni per tempora dimensionem. Quo-
 re tria potissimum in se continet: Verba, Numeros,
 atque Ictus. Huic vicina atque finitima est ea, quæ
 certa

certa pedum ratione conficitur, & metris constat: unde Metrica Musica nominatur, & frequentiori nomine Poëtica: quam Poëtæ: doctorum genus antiquissimum, ut putat Cicero, profitentur. Quæ quidem *Tusc. Qu. Musica pars (ut initio diximus) longè latequæ patet, lib. I. in pr.* & varia atque multiplicia carminum genera, plurimas scientias, atque artes vna complectitur: ut nemo possit omni laude cumulatus esse Poëta, qui non omnium maximarum rerum cognitionem fuerit assecutus. Quod autem Poëtica Musica arti, tanquam pars quædam, subiiciatur, licet nemini ferè sit incognitum: tamen etiam ex eo facile potest intelligi, quod ipsi Poëta canere se profitentur, & Comici, Tragici, Lyrici Musicam artem exercere dicuntur. Quin Socrates, cum in somnis ab Apolline fuisset admonitus, ut Musica operam daret, carmina pangere, versusquæ facere aggressus est. Præterea Musarum Aues à Græcis Poëta vocantur, quibus ipsa Musæ dicuntur præsidere, itaque frequenter eas in Poëmatibus suis inuocant, & omnem eis scientiam acceptam ferunt. Is verò, qui sine magno labore versus laudabiles facit, apertas Musarum ianuas habere prædicatur: ut penè soli Poëta verè Musici possint appellari. *Infrà Orat. ca seorsum alibi plura diximus. Nunc ad propositum 24.* redeamus. Iam enim docuimus, quæ naturalia sint Musicae artis instrumenta: nunc videndum est, quæ sint artificiosa. Quæ quamuis penè innumerabilia sint: tamen vna in notione omnia percipi, atque comprehendipossunt. Quacunque enim vel tactu, vel pulsu, vel flatu modulatum & artificiosum concentum efficiunt,

unt; ea Musica instrumenta nominantur: qualis est
 thara, psalterium, organum, tibia, ceteraq; eius generis
 plurima: quibus in singulis excellere per magnum
 est: rarissimi autē in pluribus excellunt: nulli in omni-
 bus. Sunt enim, qui fidib; egregie sciunt, & tamen ac-
 nablia tangere, aut tibia inflare nesciant. Sed anti-
 quis temporibus praeter ceteris omnibus, musicis instrumen-
 tis Citharam, quae eadem lura dicebatur, in maximo
 honore ac precio fuisse notauimus: ut citharædi ceteris
 artificibus musicis longē antecellerent: quo factum
 est iam tritum vetustate prouerbum: Aulædus si quis
 citharædus esse non potest. Quatuor autem tantum
 chordas initio Cithara dicitur habuisse, quas Mercurius
 excogitauit: deinde Choraebus Lydorum rex quatuor
 tam addidit; Hyagnis Phrygius sextam, septimam, et
 pander Lesbicus, septem erratum stellarum numerum
 & similitudinem secutus, quae septem distinctos met-
 uallis sonos efficere motu perpetuo dicuntur: unde ve-
 tum etiam septem discrimina Musici notauere: de quo
 Virgilius Orpheum celebrans:

Plinius
 Nat. Hist.
 lib. 7. c. 56.

Aen. 6.

Eclog. 2.

Nat. Hist.
 lib. 7. c. 56.

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos,
 obloquitur numeris septem discrimina vocum,
 iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
 Et in Bucolicis ita pastor ille gloriatur,
 Est mihi disparibus septem compacta ciculis
 fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim.
 Octauam postea citharæ chordam Simonides addidit,
 ut Plinius auctor est: nonam Timotheus: quia no-
 uem esse Musæ perhibentur. Tria sunt igitur Musi-
 corum Artificum genera, quae maximam & hōne possi-
 mant

nam animis nostris oblectationem afferre solent. Vnum eorum, qui voces & numeros observant, & modulationes suas cantusq; assa voce concinunt. Alterum eorum, qui Poeta vocantur, & pangendis carminibus studium & operam impendunt. Tertium eorum, qui musicis instrumentis tangendis aut inslandis, aut pulsandis, artem suam ostendunt. Illud etiam observatione dignum est, Apud veteres Cantionum genera nomen à gentibus ducere solet. Nam aliqui cantus Phrygij dicebantur, aliqui Dorij, aliqui Lydij, aliqui Aoliij. Quae quatuor genera priscis illis temporibus precipue viguerunt. Phrygius cantus partim ad oblectationem animi, partim ad pugnas excitandas adhiberi consueverat: qui cum acrius intenderetur, quasi furore quodam ad praelium animos inflammabat. Dorius ad honestatem, castitatemq; precipue animum componere putabatur. Lydius intelligentiam acuere, & à terrenis rebus ad coelestes ac diuinas cogitationem extollere. Aolius animi perturbationes sedare, somnumq; iam pacatis attribuere persuasum erat. In serijs autem rebus Dorium cantum adhibebant: in iocosis vero Phrygium: itaq; cum latius ac iucundius aliquid vel dicendum, vel optandum esset, A Dorio, dicebant, ad Phrygium. Atq; haec de Musica partibus dicta sufficiant. Nam omnia diligenter persequi, sicut ij solent, qui de ipsa Musica scribunt, nostrum non est institutum. Reliquum est, vt aliqua de viribus & vtilitate Musica dicere aggrediamur. Quod cum fecero, perorabo. Maximas esse vires in hac arte, declarat illud, quod praestantes Musici, quoties libet, animos hominum audientium

vel in perturbationes varias impellunt, vel ad tranquillitatem reuocant. Nam Timotheus in arte musica celeberrimus, cum in conuiuio Phrygium cantum incipisset, usque ad regem Alexandrum incitauit, ut statim ad arma capienda prosiliret: atque eundem, iterum a modulatione, reduxit in conuiuium. Pythagoras ebrium ac furentem adolescentem cantu mitiorem, et sui compotem reddidit. Quid Empedocles, nonne incolumem ab inimicis hospitalem suam musicam artis praesidio seruauit? Ita uero Terpander et Arion musicis cantionibus ciues suos a grauissimis morbis eripuerunt. Xenocrates modis Organicis lymphaticos curabat. Thales Cretensis cithara suauitate morbos et pestilentiam fugabat. Asclepiades Medicus phreneticorum mentes per symphoniam sanat atque restituebat. Ismenias Thebanus multos ex Bæotijs, qui doloris ischiatici tormentis vexabantur, ab eo morbo cantu liberauit. Tantum uero prisca Philosophia studijs dediti musicae artis esse cognouerunt, ut Pythagorici, cum uesperis cubitum ire statuerent, quibusdam cantilenis uterentur, ut lenis et quietus sibi somnus irreperet: eadem ratione matutino tempore surgentes de lecto, somni stuporem, mentisque caliginem alijs cantibus eieciabant. Plato libro Legum septimo musicam omne genus Deorum operis arbitratur. Apud Homerum Ulysses eam demum uiuendi rationem optimam esse uult, cum latius hominibus.

Odyss. 9.
v. 3. & seq.

Moral. Eudem. lib. 1.
cap. 1.

Conuiuas aliquis cantu demulcet ameno
Ordine dispositos. Quippe uita degenda ratio
non tantum honesta esse debet: (ut ait Aristoteles) per

rum etiam iucunda omnium consensu: quandoquidem in his duobus beata vita consistit. Musica vero sine dubitatione in ijs rebus ponenda est, quae summam afferunt voluptatem, siue nuda sit, siue concentu coniungatur. Itaque Musaeus rem suauißimam Cantum ait esse mortalibus. Recte igitur eam & in consuetudine, & congressibus, & in vita adhibent homines, quod voluptatis sit effectrix. Ex quo intelligi potest, eam pueris esse discendam. Nam quae res voluptatem sine detrimento afferunt, eae non solum cum sine congruunt, sed etiam ad quietem pertinent. Huc accedit, quod musica animi habitum recte constituere potest: quia nobis cum harmonijs ac numeris quadam videtur esse cognatio: quare multi sapientes tradunt, partim animum esse harmoniam, partim harmoniam habere. Illud autem permirum esse videtur, quod Plato quarto de Republica libro tantam vim in musica esse censet, ut musicis cantibus immutatis, mutari ciuitatum status existimet. Quocirca plures Graecorum ciuitates, (ut Martianus affirmat,) ad lyram leges decretaque publicae recitabant. Quid multa? Tanto semper in honore ac precio, propter excellentem utilitatem, musica fuit, ut nemo paulo doctior atque ingeniosior vnquam fuerit, quin ei plurimam operam impendere voluerit, & praestantes musicos ita suspexerit, quasi diuinos quosdam, & multum supra se positos homines. Itaque Socrates Philosophorum sapientissimus, iam senex institui lyra non erubuit: dicens, Satius esse, praeclearam artem sero, quam nunquam perdiscere. Plato ciuili

Lib. 4. de
Repub.

credidit. Duces maximos & fidibus & tibijs ceciniſſe traditum eſt. Achillem, Græcorum fortiffimum lyra cantu mirificè delectari atq; recreari ſolitu memorant: quam artem à Chirone magiſtro, ſapentiſſimo viro, didicerat: quem imitatus Alexander Magnus, citharæ ſono frequenter maximas animi curas exibat. Epaminundam, Græciæ Principem, fidibus optime ceciniſſe teſtis eſt Cicero. Dauidem regem ſanctiſſimum, tantum citharæ præſtitiffe memoria proditum eſt, vt iuuenis adhuc & penè puer, Saulis regis iracundiam, & demoniacas vexationes artiſticiſo cantu tranquillaret. Lycurgus, duriffimarum Lacedæmoniæ legum auctor, Muſices diſciplinam probauit: & Thales Cretenſis magno ſtipendio conductus eſt à Lacedæmonijs, vt pueros eorum Muſicam edoceret. Quin exercitus Lacedæmoniorum Muſicis accendi ſolitos modis ad prælium fama traditur: ſicuti Romana legionum cornibus & tubis accendebantur: quorum concentus quando erat vehementior, tantò Romana in bellis gloria cæteris præſtabat. Iam verò Grammatica quædam & Muſica iunctæ fuerunt. Nam (vt Quintilianus ait) Archytas atque Ariſtoxenus etiam ſubiectam Muſicæ Grammaticam putauerunt: & apud antiquos ydem erant vtriuſque rei Præceptores. Summam autem eruditionem Græci ſolam cenſebant in neruorum vocumq; cantibus: vnde etiam ille mos, vt in conuiuijs poſt cœnam lyra circumferretur: quam cum Themiftocles recuſaret, eſt habitus inductus. Quin etiam Romani veteres huic Arti plurimam operam impendebant. Maiores enim natu in conuiuijs (vt

Tuſc. Qu.
lib. 1. in pr.

Sam. 16.

Inſt. Orat.
lib. 1. ca. 17.

Tuſc. Qu.
lib. 1. in pr.

Valerius Maximus scribit) ad tibias egregia superiorum opera, carmine comprehensa, pangebant, quod ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. Et tertio de Oratore Crassus inquit : Quorum illa summa vis carminibus est aptior & cantibus: non neglecta, ut mihi videtur, à Numarege doctissimo, maioribusque nostris, ut epularum solemnium fides, ac tibiarum, Saliorumque versus indicant. Et de Legibus secundo Cicero sic ait: Honoratorum virorum laudes in concione memorantur: easque etiam ad cantus, ad tibicinem prosequantur. Quia verò Musica semper diuina quadam res habitata fuit: ideo iam inde à priscis illis temporibus perpetuò rebus sacris adhiberi solita est: ut nulla omnino sacrificia, nulla supplicationes, nulla solenniores preces sine cantu fierent. Nam hoc etiam à sanctissimo rege Dauide precipitur, ut psalterio, cithara, tuba, tympano, fidibus, organo Deum laudemus. Et apud omnes ferè nationes Deorum laudes cantu Musicaque celebrantur: nostraque Religio passim in templis omnibus & vocibus, & musicis instrumentis personat. Quæ res profectò declarat, omnium gentium consensu Musicam artem præstantissimam & sanctissimam fuisse semper existimatam: & qui ea non delectarentur, rudes & imperitos haberi solitos: ut etiam in Græcorum prouerbio celebratum sit: Indoctos à Musicis atque Græcis abesse. Vos igitur, Viri Mediolanenses, omni studio, cura, diligentia providere debetis, ne tam infame prouerbium in vos iactari merito possit. Itaque toto pectore, atque omnibus (ut aiunt) vnguiculis tam præstantem, atque eximiam artem amplecti, & iam in

Lib. 2.
Cap. 10

Pag. 161. a

Pag. 182. b

Psal. 150.

Quint. In-
stit. Orat.
lib. 1. c. 17.

hac

hac disciplina plurimum laborare debetis: & in capite
 cipue musica parte, qua à diuino quodam afflatu, seu
 furore proficitur, quam Poeticam appellamus: in
 qua tum in animis oblectandis, tum in moribus compo-
 nendis, tum in celebrandis Heroum Deorumq; laudi-
 bus, potissimum excellunt: qui, quoniam ad lyræ car-
 mina sua concinebant, Lyrici fuerunt appellati. Qui
 licet plurimi fuisse memorentur: duo tamen omnium
 habentur præstantissimi: apud Grecos Pindarus, apud
 nos Q. Horatius, qui (sicut ait Quintilianus) fere
 Lyricorum Poëtarum legi dignus est. Nam & inueni-
 git (inquit) aliquando, & plenus est iucunditate &
 gratia, & varijs figuris, & verbis felicissime adu-
 Cumq; duo sint, qua Poëta præstare debeant, hæc
 utilitas & voluptas: nemo sanè vel dicendi figurarum
 trorumq; varietate iucundior Horatio, vel reco-
 ta doctrina, crebrisq; sententijs utilior inueniri
 test. Cuius nos Odas sic interpretari, quoad facili-
 nostra feret, enitemur, vt tanti Poëta summam
 entiam rerumq; variarum cognitionem vobis luce
 riùs explicemus. Sed quamuis musica suauitas nos
 illecebris ad se traxerit, & multa de præstantia
 nos dicere coegerit: non tamen ideo veterem Artem
 nostram, cuius delicijs iam pridem innutriti sumus, et
 qua nos gremio suo, longo iam tempore mira quadam
 benevolentia detinet, omnino deserere volumus: ca-
 verò est Dicendi ratio, & Rhetorica doctrina Cicero-
 nis: quam (vt scitis) ego semper plurimum adamas.
 Quare cum aliàs Oratorem ad Brutum interpretari
 fuerimus: tamen vnà cum Horatio, libros etiam illos
 de

Inft. Orat.
 lib. 10. c. 1.

ORATIO XXIV. SII

de Oratore ad Q. Fratrem, qui totam dicendi viam & rationem, & elegantissimè & copiosissimè patefaciunt, interpretabimur: ut vno eodemq; tempore & Poeticam mellam, & Oratoriam dulcedinem non tantum degustare, sed etiam haurire pleno ore valeatis.



DE ARTE POETICA.

ORATIO XXIV.

SI quis est vestrum, Viri Mediolanenses, qui fortè censeat, aut me, cuius ingenium est per exiguum, aut quenquam alium, qui maiore quadam orationis vbertate copiaq; scateat, quanta sit Artis Poëticæ præstantia, dicendo satis commodè explicare posse: is certè aut sanctissimas musarum fores nunquam penetrasse, aut eloquentia plus facultatis atque virium, quam ipsa veritas concedat, attribuere meritò iudicandus est. Quis enim totius humanæ vitæ magistram, benè beateq; viuendi speculum, veritatis imaginem, omnis denique sapientiæ fontem merita laude prosequatur? Ac mihi quidem, Auditores, quam